



**Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

XV. In Domin. I. Quadragesimæ. Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes  
fiant. Matth. 4. Arg. Convivium Diabolicum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XV.  
IN DOMINICA I. QUADRAG.

Si Filius Dei es, dic, ut lapides  
isti panes fiant.

*Matth. 4.*

ARGUMENTUM.  
CONVIVIUM DIABOLICUM.

I. **E** Volutis proximis feriis, an Furiis, suis Mundus appo-  
uit mensam asseclis. *Aud.* Mensam, quam ex emendicatis à creatura obsoniis struere nitebatur. Mensam, quæ bene multis in calculum, cordolumve conversa est. Mensam, in qua propinatum est fel aspidum, & venenum prope insanabile. Mensam, in qua olim periit Balthasar, jugulatus est Ammon, hausere mortem alii innumeri. Mensam, cujus symbolum plures alii, si non hîc, minimùm alibi etiamnum solvere coguntur.

Hodie Princeps mundi, Orcus, ne fortè Mundo cedere videatur, suum & ipse apparat symposium, apponitque. Spectemus.

NARRATIO.

II. **P**Aulus Æmilius, Romanarum legionum adversus Perseum Imperator, cum illò devictò epulum triumphale exhiberet, cuncta ipsemet curiosissimè, quò apparatu & ordine apponerentur, lustravit. Attonitis eam obrem Græcis præsentibus, & tacitè causam rei indagantibus, respondit: *Ejusdem artis esse, & aciem bene struere, & convivium amicis apparare.* Ut nimirum in hoc amicos sibi devinciat, in illa inimicos vincat. At quemnam ille ordinem in patinariis illis cohortibus servaverit, aut quomodo aciem formaverit, aut quem modum configendi statuerit, author historiæ haud meminit. Id mihi compertissimum, hodiernum Averni Convivatorem con-

*Plut. in Rom. Apoph.*

Q3

vivium

convivium suum aciei instar ad debellandum ordinasse Christum, ipsiusque fideles.

## §. I.

*Politica Sathana.*

*Christi D.  
primaten-  
ratio.*

III **C**onjicio id imprimis ex loci conditione. De hac facer textus: *Assumpsit eum, & statuit eum super pinnaculum templi.* Forsitan cogitabit hinc quispiam intra se: Magnus profectò Politicus est Sathanas. Novit honoratiori primum dandum esse locum; & virtuti quantò clariùs emicat, tantò sublimiores apparandas esse curules. Vel certè decidet ipsum coniecisse, Christum esse Speculatorem illum, qui nos diebus omnibus, actùsque nostros prospicit, à primo die in vesperum; ideoque ipsum supra pinnaculum tanquam in specula constituisse. Vel etiam augurabitur, Christo Domino ostendisse, non defuturos, qui suis suffragiis, & humeris ad sublimes in Ecclesia cathedras promovendi essent.

At longè alia mens, multò dispar intentio Zabuli; quam satis luculenter prodidit, cum diceret: *Mitte te deorsum.* q. d. Idcirco te huc extuli, ut graviore casu proruas; ideo te in cornu, & apice templi constitui, ut inibi vel minor appareres, vel omnino evanesceres, & disperires.

*Sathana  
dolor.*

IV. Et hoc est solemnissimum Sathanae stratagema ad sublimiora subsellia vel indignissimos quosque subvehere; quatenus majore cum dedecore, ac ruina eos subinde deturbet. Est & istud,

ponere in cornu mensæ, aut cathedræ alios, ut illos instar manipuli fœni per inanem jaclantiam ventilet. Est tertio istud, non minus ab eo receptum, quos reipsa extollere nequit, eosdem phantastico cothurno supra aliorum efferre vertices; & sublimi imaginationis suæ carrucâ ad præsentissimam circumvehere ruinam.

Novit enim perbellè agnatum locis eminentioribus, & capitibus elatis præcipitium. Novit æquè honoris, ac montis prærupti ascensum esse arduum, stationem lubricam, regressum præcipitem. Novit quòd quantum quisque de se arrogantiùs præsumit, tanto in graviore versari discrimine. Nisi enim ipsemet Luciper sedere in Monte Testamenti, in lateribus Aquilonis affectasset; nunquam tam irreparabili casu prolapsus fuisset. Nisi Adam ad Divinitatis thronum aspirasset; nunquam ad stivam damnatus fuisset. Nisi alii ambulare in mirabilibus supra se conati fuissent, non jacuissent tam profundè infra se.

*Superbia  
deprimi.*

V. Lepidam prima fronte movere videtur quæstionem Rex Sionis supra casum inopinatum Saulis, ac Jonathæ. Ait enim: *Quomodo ceciderunt fortes? Quomodo prostrati sunt, qui columnis, ac colossis æquiparabantur æneis? Quo casu resupinati sunt, quibus tota moles nitebatur imperii? Numquid enim novum est hominem cespitare, & cadere? Numquid una datur labendi occasio? Numquid non etiam equus, quantumvis quadrupes subinde hallucinatur? Ita sanè. Quid igitur opus est hac quæstione?*

*Monsu-  
perbia pe-  
riculosus.  
2. Reg. 1.  
v. 25.*

Est

Ibid.

Est quod hic observetis, inquit ille: *Jonathas (& Saul) in excelsis interfectus est.* Eheu non in valle, non in planitie, sed in montibus Gelboë procubere.

*Jonathas in excelsis interfectus quid designet.*

*Phil. Ab. de dignit. Cler. c. 11.*

Quid istud? Mons hic, Philippo Abbate Interprete, casum illorum, & ruinam significat, qui cum indepti fuerint dignitatem quampiam, quò sublimiùs cæteris provehantur, eò identidem profundius deprimuntur. Quippe Mons in quo Saul cum filio cecidit, Gelboë nuncupatur, (id est lubricum.) Quod intuens mysterium David, altum ingemiscit, & eos in lubrico dignitatis, si non ambitionis proruisse; qui priùs fortissimè in plano steterant humilitatis, lamentatur: *Quomodo ceciderunt fortes?* Fortis quippe, & invictus extitit Saul, quum in planitie decertaret, hostesque suos manu validà expugnaret. Cum verò montem Gelboë præliaturus ascendit, non solum non valuit victoriam consequi fugitivam; sed quam in plano prehenderat, turpiter amisit, & ejus loco umbram, eamque Tænariamprehendit. *Jonathas, & Saul, in excelsis interfectus est.* Hæc fors illius fatalis; hæc aliorum sequacium: *Tolluntur in altum, ut casu graviore ruant.* Omnis superbia tantò profundius prosternitur, quantò excellentiùs sublimatur; & si vel in cælum ascenderit, ad infernum usque deprimitur.

*Claud.*

VI. Auguror non citra fundamentum aliorum casibus eruditum sapuisse Lothum. Ad hunc deflexerant cognatæ castitatis vindices Angeli, adversus salacissimos Sodomitas ignium ejaculaturi imbres. Attamen ne & ille communis ustulationis ruina involveretur,

in montis recessu, ignes monetur intemperantiæ ultrices effugere. *Salva animam tuam, nec stes in omni circaregione, sed in monte salvum te fac.* Deprecatur gratiam oblatam Loth, & in civitatem parvulam ingredi efflagitat. *Qua-* Gen. 19. v. 17. & 19.  
*so Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam. Nec possum in monte salvari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere parva, & salvabor in ea.* Ita Angelicâ securum tutelâ montem recusat Loth, & civitatem parvam ingredi exorat. Quod rei mysterium?

Non me fallit inharendo litetæ expalluisse, ne dum ad distantem festinat collem, illius celeritatem ignis ultor anteverteret, & nondum montem ingressum exureret; eapropter ad vicinum oppidulum, quod citò ingredi valebat, divertere concupivit. Sed si ad mores velitemur, sublimiora expavebat, & planiora elegit; tutius perfugium ratus humile oppidulum, quàm excelsum montis verticem. *Est Civitas parva & salvabor in ea. Cum Loth exiret de Sodomis ab ascensu montis abstinuit, & in parvulam civitatem declinavit, ne dum parvulus ad altiora nititur, virilem aetatem impingens, moriatur.* Ait S. Gregorius. Excelsa, & prælustria, pericula sibi excitant, humilia ventorum frustrantur insultus; ideo Loth mediocria eligit, sublimia timer, & vel umbram superbiæ declinat.

*Loth cur montem deprecatur*

*S. Greg. in 1. Reg. c. 3.*

Notate hæc etiamnum superstites Gigantum nepotes; notate quotquot per

per arrogantiam turgescitis, & si salutem vestram amatis, montes, ac pinnacula horrescite. Securius per plana demissionis via est, in qua si cespitare, aut hallucinari contigerit, casus lethalis neutriquam futurus.

*Luc. 14. 8.* Sit vobis fixum illud æternæ Sapientiæ oraculum: *Cum invitatus fueris, recumbe in novissimo loco.* Cum te aut mundus, aut Orcus ad fastum pellexit, tu per demissionis concentum te deprime. Nunquam securius sedebis, quàm in pulvere demissionis, ac subjectionis. In hoc nos positos intendit Numen, ut sublevemur, in pinnaculo Sathanas, ut deturbemur. Ex hoc Numen à Zabulo discernere poteris, quòd illud ducat ad humilia in hoc exilio, ut exaltet in cælesti Capitolio; iste autem tumorem mentis ingenerat, ut subinde in abyssum contumeliarum detrahat. Præstat autem in hoc sæculo modico intervallo vilipendi, quatenus in altero æternum gloriæ pondus obtineamus; quàm hinc modicum vanæ gloriolæ efferri Ethelii, & alibi in omne ævum in novissimo, despectissimoque gradu constitui.

## §. II.

*Epule Sathanicæ.*

VII. **A** Stenor secundò bellicum ipsius Convivium ex ipsis epulis appositis. Nam quid illud est, quod offert? Credideram aut Phœnicem ex Arabiæ culminibus detraxisse; (tamen si unica generatio pessum iret,) credideram Phasianum, aut Tardam attulisse

absumentam; credideram molle quidpiam, ac delicatum ad famem propulsandam Christo Domino apposuisse. Fames enim non tam asperis palpanda, quàm blandis; inedia non horridis urgenda, sed gulosis. Quid ille? Lapidandâ malignitate lapidem obtrudit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* O Veterator impiissime! ô caupo malitiosissime! Hoc cine est nectar, & ambrosia, quæ filio Dei debetur? Hacciné offâ illum decet excipere, qui ad delicias nutrit universa? Nonne dignum erat omnem creaturam ad servitium illius cogere, qui suâ potentiâ condidit universa? Nonne dignum orbem terrarum in unum distillare decoctum, quò palato ipsius gratificaremur? Et tu tam crudos bolos interis, lapidem per summam malitiam obtrudis? Nempe Sathanas non Christum, sed semetipsum hac mensa exaturare exoptabat. Nam cum nostris saturaretur ex culpis, præsumpsit vel ab ipso Domino petere miraculum quodpiam, ex motivo ostentationis, ac vanæ gloriæ ab ipso patrandum. *Non dixit* (ait Theophilactus) *quandoquidem esuris; sed si filius Dei es, existimans posse illi aliquid per laudum blandimenta suffurari.* Et licet de gula, aut voracitate idcirco culpari, aut reus fieri non potuisset, si panes ex lapide mutatos comedisset; tamen occasione famis aut miracula petere, aut diabolo aliqua in re obedire, gulæ vitio imputandum esset.

VIII. Verum ex hoc factò colligere nos exoptat S. Antistes Chrysologus, quàm ferrea erga nos gestet viscera patet mendacii, quàmve lapidea erga nos foveat præcordia. *Solus, ait, sic pascit*

*Christi tentatio altera.*

*Theoph. in Matth.*

*Sathana tyrannus. S. Chrysol. serm. 12.*

*mor-*

*mortis author. Lapidem ille esurienti offert, humanitas talis est inimici.*

Christus Dominus in spem nos erigens ad Deum Patrem exorandum, hoc utitur argumentò: *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi; aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi?* q. d. Quis pater est tam imitatus, à quo si filius inediã periturus panem postularet, illi lapidem adjiceret, quò lapides illi molares excuteret. Et si hæc vobis sufficiunt ad spem nutriendam filii erga parentem; quantò majore securitate ad Patrem cœlestem potestis? Nam si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. Si securus filius recurrit ad Patrem, quòd non daturus illi sit noxia, quantò amplius Pater cœlestis dabit salutaria petentibus se. *Solus sic pascit mortis author. Lapidem ille esurienti offert.*

IX. Haud diffiteor, Patrem cœlestem nonnunquam dispensare etiam suis fidelibus panem arctum, & aquam brevem, periclitari eorum virtutem in frigore, fame, siti. Fateor, itidem Sathanam subinde blandis ad speciem palpare epulis, irritare gulam illecebris; verùm ut panis ille Patris æterni nauticus subito refingitur in panes Martios, ac saccarites; ita Zabuli illecebræ mutantur in fel, & calculum. *Suavis est homini panis mendacii*, inquit Sapiens, *& postea implebitur os ejus calculò.* Sappit hic panis in palato, sed desipit in gutture, & stomacho. Ubi enim qui spiam ejusmodi offam à patre mendacii saccarò, & melle inunctam & à Deo

veritatem devoraverit, sentiet perinde ac lapidem molarem indigestibilem in præcordiis amaricantis, ac remordentis conscientiæ.

X. Quanquam quid dico? Affero tamen in præsentem ad speciem molli-bus suos vernaculos tractare videtur, clam tamen interit lapides, totidemque bolos ingerit, quot prava consilia suggerit.

Mirationi cuique esse potest, quòd alii in tantum indurentur, ut nec minis, nec precibus, nec verberibus, nec ipsis prodigiis respiscant; videtur cor ipsorum præfractum, & obstinatum instar lapidis. Unde istud? Si Philosopho credimus ex iis constamus, quibus nutrimur. Cum itaque impiorum cor sit lapideum, consequens est, jam nunc à patre mendacii ali eos lapidibus; & esu lapidum obriguissè in saxa. Non solus serpens comedit terram, sed quicumque serpentem tanquam ducem sequuntur, lutò vescuntur. Imò ut delicatius aliquantulum suis militibus Dux, & Primas epuletur, si terram ipse comedat, illis soli supersunt lapides in escam. Quos non cibos duntaxat impiorum esse pronuntio; verùm & bellaria.

Confessione Sagarum frequentissimã, & experienciã constat, Zabulum, dum ipsas conviviò excipit, plerumque non nisi morticina, cadavera foetida, fimum equorum fascino Avernali ad illecebras condire, & salis lapides instar saccari lingendos apponere. Quis itaque non videt lapides & marmora esse impiorum bellaria?

XI. Verùm si in præsentem, dum pri-

R

mum

ZUC. 11.  
v. 11.

PROV. 20.  
v. 17.

mum ad suam quospiam inescat servitutum, tam barbarè, crudeliterque illos tractat, conjicite insuper an non in altero sæculo, in quo omnino juris ipsius futuri sunt, multò crudiora, & absurdiora apponet? Si nunc plerisque paleas stygius Pharaò subtrahit, & siliquas; quantopere timendum sceleratis, ne subinde, ceu epuloni guttulam aquæ deneget? Si in hac vita pro pane dat lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo scorpionem; an non in altera vita ignitos serpentes, scorpionesque cum pice & sulphure attemperabit? Et ne id tandem cuiquam eveniat, videat, ne illo instigante ad offas vetitas lubricet, aut ipsius perverſis suggestionibus acquiescat.

## §. III.

*Sathana Bellaria.*

XIII. **A** Ssequor tertio bellicum hoc esse convivium ad nos subjugandos ex ipsis bellariis. Et quænam illa? Pomum idque fucatum, pulverulentum, Sodomiticum.

*Christi  
tertia tenta-  
tio.*

Nôstis utique regna, & imperia in pomo figurari, eaque de causa Regibus, ac Imperatoribus in symbolum offerri. Hoc pomum præsumpsit impius Veterator ipsi Christo Domino offerre, si fortè eidem genua lunasset.

*Tentatio  
avaritia  
maxima.*

Et eheu quot sunt, qui eodem, aut particulâ illius, tanquam globo ex æneo misso tormento coram ipso concidunt. Quo ariete, aut globo avarum prostermit, nimirum isto: *Tibi dabo* lucrum. Quo ambitiosos evertit? Hoc ipso *Ti-*

*bi dabo*, intellige nomen, inanem gloriam. Quò Virginem in impudicitia pertrahit barathrum? hoc pomò: *Tibi dabo* vestem, annulum, armillas. Quibus viis alios in centena conjicit discrimina? hoc pomò: *Tibi dabo* Regales tres, quatuor, quinque. Quibus mediis ad fraudes, machinationes, officias procreandas utitur? hoc pomò: *Tibi dabo*. Hoc inescantur summi, infimi, maximi, minimi, ejusque nutibus obsecundant.

XIV. Hos à casu revocaturus, aliosque ab eo conservaturus, obsecro tantisper pomum illud mastigent, & ruminent; expendant munera vel verius promissa.

Nam primò ostendit pomum illud, seu omnia regna mundi, deforis, non intus; cuticulam, non medullam; gloriam, non cruces, angores, labores, pericula. Si enim illa penetrarent, ac nosſent aucupes honorum, quantis malis refertæ sint tiaræ, ac diademata, ne humi quidem jacentia tollerent, prout quondam experienciâ doctus dixisse fertur Seleucus, & Antigonus.

*Diaboli  
offucia.*

XV. Deinde non ostendit ea ut in se sunt, sed in imagine duntaxat, tanquam in mappa quapiam Geographica. Nullus enim tam sublimis mons est, ex quo vel unum Hæmispherium conspici queat. Et si daretur oculus humanus, nec ad unius regni fines pertingeret. Consequens ergo est, phantasticam illam, ac inanem fuisse repræsentationem.

Hunc in modum Radbodo Duci illufit palatio splendidissimo, perinde ac cœli aula præsentato; quatenus eum à sacro

*Radbodi  
illufio.*

*Vincent. in sacro latice revocaret; quod & obtinuit.*

*Spec. hist. lib. 23. c. 146.*

*In Vita.*

Eodem astu S. Antonio discum argenteum & auri massam objecit, quæ tamen fraude perspecta illico evanuerunt. Suppari astu Heliogabalus Tænararius fascinat veneficos, strygesque, quibus plurima ostentat; pauca, aut inania elargitur.

*Temporalia bona momentanea.*

XVI. Tertio, S. Luca testante, ostendit pomum hoc in *in momento temporis*, vel ut Arabicus legit: *In fulgure*.

Sedecias Rex per horas bene multas Legato Babyloniorum suas divitias, ac opulentiam spectandam exhibuit; Rex Brachmanorum per dies tres Alexandro Magno; Darius septem diebus suis hospitibus; Diabolus in momento, in fulgure, quod ut paret, disparet. Causam dat S. Ambrosius: *Bene in momento temporis secularia omnia, & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caduca fragilitas potestatis exprimitur.* Scinde, finde hoc pomum, aut circumda circulo æternitatis, & senties quod dico.

*S. Ambr. in b. l.*

Conformia cuiusdam miranti qua ratione Sanctissimo Patriarchæ Benedicto in radio Solis totus mundus spectandus exhibitus esset, respondit:

*D. Greg. lib. 2. Di. al. c. 35.*

*Quia vidente in luce Creatoris, breve est omne, quod creatum est.* Felix ille, qui prætereuntem mundum præterit, nec tam modicis ac momentaneis, quam æternis pascitur.

*Diabolus multa promittit, nihil dat.*

XVII. Tandem multa promittit, nihil dat. Imò nihil habet, quod det, nisi forte alteri eripiat. Certè utur se jactet, uni non poterat dare omnia, nisi

ab omnibus omnia auferret; quod illi impossibile. Non ergo poterat, nec intendebat dare, quod promittebat, sed quemadmodum mentitus est primis parentibus, pollicens eis Divinitatem, quam nec poterat, nec intendebat conferre, pari ratione Christo imponere nitebatur. O, quot ego hîc succenturiare possem, qui posteaquam per fas & nefas eo promotore sibi pinguiissima quæ polluebantur, tandem in vado omni aqua bonorum destitutos hæsisse.

XVIII. Quòd si tamen cuiquam quid contulit per technas, & officias, id cum ingenti subinde exigit usura. Porrexit Evæ pomum, & surripuit paradysum. Donavit triginta argenteos Judæ pro ditori, & laqueo addixit. Obtulit Absoloni regnum, & è quercu suspensum, vitâ spoliavit. Dedit Esau lenticulam, ut auferret hereditatem. Obtrusit mandragoras Rebecca, ut Jacobi suffuraretur amores, &c. Non enim quidpiam suis sufficit mancipiis, quasi ipsorum curam ageret; sed ut in scelera lubricent graviora. Ut enim gloriam suam vel consequantur, vel tueantur, quot jura-menta, perjuria, usuras, simonias, vindictas, odia, homicidia, atque alia perpetrant flagitia! Ut divitiis potiantur, quot fraudibus, dolis, injuriis, sese contaminant? Ut delitiis fruantur, quot fornicationes, stupra, adulteria committunt, seque obnoxios iis omnibus exolvendis reddunt. O misera, ac detestabilis tractatio, quæ tot, tantisque permixta est amaritudinibus! O infelices epulæ, quæ tam acerbo conjunguntur absynthio!

*Diabolus cum usura exigit.*



XIX. Quisquamne igitur futurus, qui ab eodem Veteratore invitatus, annuat; & vel loci honore, vel illecebris aliis seduci se sinat? In rebus forensibus equidem tam circumspecti sumus, ut nemo nostrum pro glandibus uniones profundat; glaream auro adæquet, hæreditatem suam pro nucum putaminibus exponat. Vah, & in rebus animæ salutem concernentibus tam fiderati inveniemur, ut bona ipsius immobilia cum caducis, inæstimabilia cum vilissimis, æterna cum transitoriis commutemus? In temporalibus quisque ab institore sycophanta avertitur, in spiritualibus ad impostorem omnium maximam convertemur? In temporalibus nobismet subinde non fidimus; alios ad nostra consilia cogimus; in spiritualibus citra ullum arbitrium, & ducem feremur? Potestne quidpiam insulsus, aut dementius fingi, aut cogitari?

XX. Eja, quisquis sapit, Patrem omnium credentium æmuletur; & si fortè illi Sathanas, perinde ac Abrahamæ Rex Sodomæ multa spondeat, & offerat, dicat cum eodem: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem celi & terra, quòd à filo subtegemini usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tuæ sunt. Si*

Gen. 14.  
v. 22.

quæris causam? Accipe: *Ne dicas, ego ditavi Abraham. Id est: Nolo divitias de manu Regis Sodomæ, nolo de manu diaboli, nolo per fraudem, nolo per dispendium animæ meæ, quodcumque suspectum munus, nolo accumbere mensæ Lemurum. Ab unica manu Dei quæcumque mihi cum virtute obventura sunt, accepta erunt, cætera ingrata, ac detestanda.*

Quisquis sapit, is provocatus ad prævaricandum præceptum Domini, suasque voluptates sectandas, perinde ac Balaam Vates à Balac, dicat cum eodem: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini. Si Balac Avernalis vel totum mundum obtulerit, ut transgrediar Verbum Domini mei, præceptum illius id eo adjuvante nunquam committam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucratur, & anima sua detrimentum patiatur.*

Num. 22.  
v. 18.

Quisquis sapit, æmuletur Christum Ducem suum, resistat strenuè diabolo, & fugiet ab eo.

Ita confido futurum, ut ejuratò hoc Tænario Veteratore, accedant Geniæ cælestes, & famulentur nobis.  
Amen.

